

significationes Veneris domus, in qua dominium habet, in natali, & reuolutione.  
 Venus si applicuerit ad locum radicis, indicat natum ualde amare suam mulie-  
 rem, aut puerum, & hoc secundum naturam signi illius domus, quia si masculinum,  
 diliget puerum, si foemininum, mulierem, si commune, utrumq̃.

Mercurius dominus anni.



Mercurius quando fuerit reuolutionis dominus, in hono statu, ut de alijs  
 diximus in prima uel decima, significat quod per literas, aut negotia-  
 tiones natus perueniet ad diuitias, seruiendo regi, & eius facta admi-  
 nistrabit.

Et si fuerit in septima, uel quarta, erit ei bonum coniugij causa, &  
 haereditatum, & aderunt ei contradictores.

Et si eum ambæ stellæ fortunantes fortificauerint, uel ipsorum altera, bonum  
 illud erit firmitus, & lucrum ualidius.

Et si fuerit in alijs figuræ locis saluus ab infortunis, & non in angulis, & fortunae  
 tus à bonis planetis, gaudia significat nato in rebus quæ fuerint de natura illius signi,  
 & eius proprietate, quia si in quinta, uel undecima domo, associabitur nobilibus, &  
 spes erunt rata, laetabiturq̃ ex causa filiorum, & ex mercatura lucrum habebit.

Et si in tertia, uel nona, in his erit utile, quæ per has domus significantur. Et sic  
 de reliquis secundum quod diximus in alijs, per reliquas domus &c.

Luna si Mercurium bene aspexerit, in utrisq̃ temporibus, & sit bene fortuna-  
 ta, bona significat nati negocia, & bonum intellectum.

Et si aspectus fuerit ex quadrato sinistro, & Mercurius supra lumina eleuatus,  
 dic sensus meliorationem, sed tristitiam ex hominum societate.

Et si fuerit ex quadrato dextro, & Luna supra Mercurium eleuata, non erit sta-  
 bilis in agendis, & in his sollicitudo inerit.

Et si ex opposito, erit odio omnibus, qui etiam sibi aduersabuntur, sed tamen  
 natus erit uictor.

Et si in ambobus temporibus fuerit illi iunctus, indicat matris bonum statum,  
 natus erit bonæ cogitationis, & consilij, sed associabitur uilibus hominibus.

Mercurius si fuerit in malo statu, & infortunatus, combustusq̃, significat dama-  
 na, sensus inuolutionem, molestias, filiorum moerorem, & seruis aut scribis damna ex  
 mercatura & in omnibus dat contrarium eius, quando fuerit bene fortunatus, secun-  
 dum signi & domus proprietatem, & partis substantiæ, uel filiorum.

Mars si Mercurium infortunauerit, eo existente in sexta domo, significat acue-  
 tas febres, & ignis impedimenta. Et si sit in secunda, uel duodecima, significat inimi-  
 corum molestias, uulnera, & carcerem, & dic omnia mala cum Mercurius fuerit in-  
 fortunatus, aut quando fuerint ambo sub radijs Solis, nam significat natum occidi,  
 uel igne cremari.

Et si Mercurius fuerit sub radijs, & Mars in decima domo, natus erit in an-  
 gustijs duri & obscuri carceris.

Et si pars fortunæ, & eius dominus ambo per Martem infortunentur, uel per  
 combustionem, erit illud infortunium deterius.

Saturnus si uerit cum Mercurio ita male disposito, erit damnum contingens  
 per uenena, carcerem malum, ægritudines Saturninas, dolores iuncturarum, maxie  
 me si sit ex quadrato, uel opposito.

Dixit Hermes unus ex antiquissimis, Maius infortunium Mercurij est, quan-  
 do inter ipsum & Solem fuerint duodecim gradus à parte orientis, & sexdecim, uel  
 septemdecim à parte occidentis quia sic in hoc statu infortunabitur per coniunctio-  
 nem, aut per malos infortunantium aspectus, & multiplicabuntur nati infortunia illo  
 anno.

Luna